

213.



Disputatio XII.

DE GENERALI FEVDI DISTRIBUTI-
 one, eiusdemq; acquisitione in genere: In specie verò
 de personis, quæ conferre possunt, quæ
 item accipere Feuda.

Q V A M,

D. S. E. L. P. C. F.

Sub Patrocinio

D. HENRICI BO-
 CERI, SALCATENI, V.
 I. D. EXCELLENTISSIMI, ET IN
 inclyta Tubingensium Academia Professoris, criminalium &
 Feudalium rerum laudatissimi, Præcepto-
 ris sui summè colendi,

ORDINARIÆ EXERCITATIONIS
 studio, hora, tempore, locoq; solitis, pro animi modulo, susci-
 pere, & defendere conabitur

M. IOANNESI IACOBVS
 Plebst, Stutgardianus, Charitinus.



T V B I N G Æ,

Excusit Georgius Gruppenbachius.

ANNO M. D. DC.

I.
Disputatio XII.

DE GENERALI FEVDI DISTRIBUTV-
tione, eiusdemq; acquisitione in genere: In specie verò
de personis, quæ Feuda conferre possunt,
quæ item accipere.

THESIS I.

Sequuntur nunc generales feudi affectiones, vt sunt ad-
quisitio feudi, & commodum feudalitium: tum etiam
amissio feudi, & iudicium feudale. Omnis enim de Feu-
do quæstio est, vel de eius acquisitione, vel de commodo
& vtilitate illius, vel de eiusdem amissione, vel de iudicio
Feudali, in quo Feudi controuersia dijudicatur. De his ergò genera-
libus Feudi affectionibus ordine agendum.

l. vlt. ff. de ll.

II.

Acquisitio Feudi est actus, quo Feudum in re quadam certo mo-
do constituitur. Ad hanc desiderantur tum personæ, quæ dare, quæ
item accipere possunt Feudum: tum res idonea, in qua constituitur
Feudum: tum deniq; modus constituendi Feudum.

III.

Personæ dare, vel conferre feudum possunt, quæ liberam bono-
rum administrationem habent, (a) tam Ecclesiasticæ, quàm Laicæ, si-
uè seculares, (b) Hinc Feudistæ diuidunt Feudum in Ecclesiasticum &
Laicum, siue seculare. (c)

a) Tit. 3. per quos fiat inuestit. in pr. vers. noui verò lib. 2. F. (b) t. 1.
de his qui F. dar. poss: t. 3. Qui success. Feud. darateneant t. 9. Qui success.
teneant. ib. nisi fuerit facta ab aliqua persona Ecclesiastica. t. 25. Quib. mod.
Feud. constit. pot. §. si dominus. & tit. seq. §. hæc omnia. vers. In Clerico-
rum. libi. F. (c) Ex transmissa ib. De seculari Feudo. extr. de For. compet.
Iacob. Aluarot. in proemio lectura sua super F. vers. Quinta est Diuis. Bl. in
pralud. F. n. 56. las. in pralud. Feud. n. 150. Zas. in epitome. F. p. 2. Anton.
Contius in sua methodo de Feud. c. de diuisionibus Feudi in pr. Francisc. Ho-
tom. in disp. de Feud. cap. 4. circ. fin. VVesenb. in tract. de Feud. c. 2. n. 3.
Lud. Schrad. in tract. Feud. p. 2. c. 3. n. 17. & 18.

cc 2

Feudum

IV.

Feudum Ecclesiasticum est, quod persona Ecclesiastica, penes quam ea potestas est, in bonis Ecclesiæ alicui concessit. (a) Si verò Clericus in proprijs bonis Feudum alicui constituat, seculare id Feudum est, non Ecclesiasticum. (b)

a) t. 1. §. 1. 3. & 6. lib. 1. F. t. 35. de cler. qui investit. fac. lib. 2. F. Tit. de Inuest. veter. & nou. benef. in cc. extr. c. 1. & 2. extr. de F. (b) d. t. 35. L. 2. F.

V.

In quæstionem vocari potest, si Prælati Ecclesiæ, in eius bonis alicui extraneo, Feudum, quod alius adhuc possidet Vasallus, in casum mortis illius Vasalli concedat, Prælati autem ille moriatur, antequam nouo Vasallo rem Feudalem tradat, an successor eius ad Feudum præstandum sit obligatus necnè? Hic distinguendum est. vtrum rei Feudalis possessio redierit ad ipsum Prælatum viuum, an verò eo mortuo Feudum illud Ecclesiæ apertum sit. Priore casu successor Feudum præstare, & nouum Vasallum inuestire tenetur: posteriore non item.

Text. in t. 3. t. 9. t. 25. §. si dominus, lib. 1. F. & t. 35. lib. 2. Feud.

VI.

Ecclesiasticum Feudum duplex est, Papale & Clericale. Papale Feudum est, quod Papa seu pontifex Romanus in aliquem confert, quale est opimum quodque sacerdotium, veluti Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia, &c.

VII.

Hic non incommodè nobilis illa incidit quæstio, multorum exercituum sanguine cruenta, vtrum etiam Imp. R. tanquam Feudum à Papa recognoscat?

Cum tantum penes Septemuiros Germania, quos Principes Electores vocamus, ius sit Imp. creandi, vt Aurea Bulla Caroli IV. testatur, & ipse Pap. Rom. Innocent. IV. in c. 2. in fin. t. de sent. & Re. Iud. in 6. ridiculum est affirmare, quòd Imp. à summo Pontifice Rom. Imp. Feudi nomine teneat.

VIII.

Potest Pontifex Rom. Feudum dare non modò in bonis suæ Apostolicæ sedis, (a) sed & in rebus omnium Ecclesiarum. (b) Ipsi verò Clerici licet primi sint gradus, tamen sunt administratores rerum Ecclesiasticarum, (c) si tamen Papa res Ecclesiæ magnas & pretiosas, veluti, si ciuitates pontifex in Feudum concedere velit, Cardinalium consensu opus erit, (d)

a) c. ad

a) c. ad Apostol. S. præter hæc. t. de sent. & re iud. in 6. (b) Nam sanctionibus Canonicis, Pontifex Monarcha & caput esse fingitur omnium Ecclesiarum c. cuncta per mundum & c. seq. c. per princip. c. patet. c. nemo. 9. q. 3. c. 2. dist. 25. & plenaria ipsi in Ecclesiasticis dispositio permissa est, c. 2. ib. plenaria dispositio, T. de præb. in 6. c. in fin. vt lit. pend. nih. in nou. (c) c. 2. extr. de Donat. c. vt sup. in fin. extr. de reb. Eccles. alien. (d) vt Dd. sentiunt Bl. in l. multa C. de Don. qua. l. 16. las. ad t. 1. n. 5. lib. 1. F. Argumento l. placet ib. rationabilis Consilij tenore perpenso, C. de SS. Eccles. c. per venerabilem. verb. Rationibus igitur extr. Qui fil. sint legit.

IX.

Cæterum Clericale Feudum est, quod ex Clericis Prælatu Ecclesie in aliquem contulit, Prælatu autem Ecclesie est Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus.

c. 1. Dist. 80. c. 3. in fin. Dist. 36. t. de Inuestit. veter. & nou. benefic. §. à prælatu Ecclesie in extraord. cc. Atq; hi omnes Clericorum appellatione continentur, c. clericos. §. generaliter. Dist. 21. & t. 40. de cap. corrad. §. vlt. ib. si Clericus velut Episcopus, Abbas. lib. 2. F. De præposito est text. in t. 25. §. si dominus & t. 26. §. hæc omnia lib. 1. F. & t. 35. lib. 2. F.

X.

Sed eatenus huiusmodi Prælatu aliquis Feudum dare potest in rebus Ecclesie suæ, quatenus illius fuerit consuetudo antiquitus Feudum dare (a) ante tempora Urbani II. Pap. Rom. (b)

a) t. 1. §. 1. ib. si antiquitus consuetudo eorum fuerit feudum. t. 6. in fin. pr. ib. vel alia Ecclesiastica persona, quæ antiquitus non sit solita in feudum dare, lib. 1. F. t. 35. in fin. ib. & Feuda his aperta olim dederant, lib. 2. F. & t. de inuestitura ver. & nou. beneficij ib. siuè Ecclesiastica, siuè antiquitus eorum consuetudo fuerit in extraord. cc. (b) t. Episc. vel Abbat. 6. lib. 1. F.

XI.

Quanto temporis spacio talis infeudandi consuetudo progignatur, quærunt interpretes? Quidam requirunt an. tantum 4. quidam 10. quidam 30. quidam 40. desiderant, nonnulli verò immemorale tempus. Sunt item, qui putant tempus hoc Iudicis arbitrio relinquendum esse. Communiter tamen receptum volunt esse, 40. sufficere hic annos. Et præter tempus illud quidam requirunt duos infeudandi actus, quidam vnum. (a) Verum hic nullam temporis quantitatem, vel actuum spectandam esse arbitror, sed duntaxat di-

CLASSIS QUARTÆ

spiciendum; utrum aliquando res ante Pontific. Urbani constit. in Feud. fuerit data. (b)

a) Vtramq; hanc questionem longo stylo examinat post alios Iacobin. de S. Georg. in tract. suo Feud. in verb. in feudum. n. 37. mih. pag. 25. fac. 2. Item Iacob. de Bel. in apparatu suo in consuet. Feud. ad t. 1. vers. Queritur ergo, quanto tempore, & vers. seq. lib. 1. F. & Curt. lun. in tract. F. p. 2. q. 3. & 4. Attingit eand. Duar. in comm. in cons. F. c. 5. n. 6. & Ioan. Borch. in comm. Feud. c. 6. n. 23. (b) d. t. 6. in pr. lib. 1. F.

XII.

Potest autem Prælatus in tali re Feudum alicui concedere, etiam inconsulto Pontifice. (a) proindeq; etiam absq; consensu Capituli. (b) & quidem in tantum potest Prælatus rem infeudari solitam, liberè de nouo alicui in feudum concedere, vt ei minimè obstat iuramentum, quo cauit, se rem Eccles. ne quidè per Feudum alienaturum, quipè cum iuramentum illud tantum concernat res, quæ omninò alienationi haud subiacent, & nunquam antea feudales fuerunt. (c)

a) Text. est expressus in c. 2. extr. de F. & c. vt super. extr. de Reb. Eccles. alien. vel non. (b) per notabil. text. in t. 26. §. in Cleric. lib. 1. F. V. Vesenb. de Feud. c. 4. n. 1. (c) d. c. 2. vbi Dd. extr. de F. Rol. à Vall. consil. 1. n. 83. vol. 1. Hieron. Schurpff. cons. 45. n. 7. & 8. cent. 1.

XIII.

Sed voocatur in quæstionem: An Ecclesiæ Prælatus, vt extraneis, sic & consanguineis suis, rem infeudari solitam, & Ecclesiæ apertam, largiri in Feudum possit? Et sententiam affirmatam veriore credo, (a) modò nullam ea infeudatio Ecclesiæ fraudem creare videatur. (b)

a) Tit. de Inuest. vet. & nou. benefic. in extraord. c. vbi Prælatus vtiliter dicitur dare Feudum coniunctæ personæ, si non tale sit Feudum, quo duos Vasallos Ecclesiæ parare potuisset. arg. text. in cap. dilecto filio extr. de prabend. secundum naturam enim est, vt vnusquisq; proprium sanguinem extraneæ personæ præferat. l. cum acutissimi. 30. C. de Fideicom. c. non estimemus vers. diligentius tamen. 12. q. 2. & prima liberalitas circa proximos operari debet c. non satis. dist. 86. Et quæ Prælatus relinquere valet extraneis, eadem consanguineis suis concedere non prohibetur, c. relatum ib. siuè consanguinei sint, siuè alij, extr. de Testam. Mynsing. ob. 47. cent. 5. addit quòd hæc sententia magis sit recepta, quodq; illi communis etiam Germaniæ consuetudo suffragetur. (b) tit. 34. §. similiter in pr. vers. profectò ille qui beneficium suum, ib. non debet alia lege dare, nisi qua ipse habeat, lib. 2. F. d. t.

de In-

DISPUTATIO XII.

de Inuest. vet. & nou. benef. §. à pralatis ib. dum tamen dissipator videri non possit in extraord. cc. c. 2. ib. conditionem Ecclesie meliorem facere potest, deteriore non debet extr. de Donat.

XIII.

Vnde si Feudum consuevit dare masculis, & ad certam duntaxat generationem, Prælatus certè illud fœminis dare, aut in perpetuum concedere non potest; (a) nisi hoc fiat propter meritum aliquod siue amorem repicientis, veluti si sit filia Vasalli benè meriti, cuius amor & memoria, in filia quoq; vtilitatem exuberet. (b) Si item feudum prius fuit concessum personæ singulari, & quidem plebeia, non potest iam apertum Ecclesie, dare vniuersitati alicui, veluti ciuitati aut Collegio cuidam, neq; potentiori. (c)

a) d. t. 34. §. similiter, ib. si persona secunda sit talis lib. 2. F. Curt. Iun. in tract. F. p. 2. q. 6. n. 11. (b) t. 14. lib. 1. F. & arg. l. viuis libertus. 9. ff. Si quid in fraud. patron. Atq; ita sentit etiam Frider. Schenck. Bar. à Tautenberg. ad t. 1. in pr. n. 2. lib. 1. F. (c) per ea quæ scribit Bl. in Auth. Quibuscunq; C. de SS. Eccles. & Alex. in consil. 9. n. 5. vol. 3. Curt. Iun. d. tract. F. p. 2. q. 9. Cum enim ciuitas aut Collegium nunquam moriatur, spes nulla est fore, ut aliquando Feudum ad Ecclesiam redeat, l. an vsufr. 56. ff. de vsufr. l. si vsufr. 8. ff. de vsu & vsufr. l. & difficilius est litem intendere potentiori, quàm inferioris fortis homini plebeio. l. 1. §. fin. l. 2. l. 3. ff. de alien. iud. mut. & t. tit. C. Nè liceat potent. patroc. litig. post.

XV.

Notandum autem, Archiepiscopum Mediolanensem, ex priuilegio eius Ecclesie ius non habere concedendi in Feudum rem eam, quam tempore introitus sui, in dominico inuenit, etiam si antea Feudalis fuerit. Tit. 35. vers. & idè dicendum. lib. 2. F.

XVI.

Cæteri, qui Prælati Ecclesie non sunt, ius dandi Feudum non habent. Quòd si autem dederint, vigorem id nullum habet. (a) nisi & vrgens necessitas, & euident Ecclesie vtilitas eam infeudandi consuetudinem produxerit. (b) impetrata tamen licentia pontific. vt & consensu Capituli, habito solemni & diligenti tractatu, ipsumq; capitulum ei infeudationi subscribat. (c) in feudum datur.

ut mor si robas alijs et condit. one diuersa à prælato se da.

a) t. 6. in pr. ib. nullum habet vigorem. item ibi. de Iure non valeat lib. 1. F. l. non dubium. §. C. de ll. & l. pacta quæ contra leges. C. de pact. (b) c. ad nostram. extr. de reb. Eccles. alien. vel non. quod enim non est licitum in lege, necessitas cum vtilitate coniuncta facit licitum c. non est licitum. extr. de R.

de R. l. (C) c. 1. vers. quia etiam tractatus & diligens. c. 2. in pr. ib. absq; capituli consensu, & Apostolica sedis licentia. tit. de reb. Eccles. alien. in 6. c. sine exceptione ib. cum totius cleri tractatu atq; consensu, it. ib. omnium convenientia & subscriptione Clericorum. 12. q. 2. iunct. c. ad nostram. extr. de reb. Eccles. alien. vel. non. Did. Couar. lib. 2. var. resolut. cap. 17. num. 2. Roland. à Valle Cons. 15. num. 10. & Consil. 33. num. 12. vol. 1. VVesenbec. consil. 52.

XVII.

Verum solemnitatis huius omisio non vitiat infeudationem, si Prælatus rem minimam non solitam infeudari in feudum concedat, (a) vel si rem conferat in feudum, quæ ultra hominum memoriam inculta fuit. (b) Ipso iure verò inutilis, ratihabitione Ecclesiæ valida & utilis habetur. (c)

*Ob solemnitatis omisio
infeudatio*

a) c. terrulas. 12. q. 2. l. 1. §. fin. ff. de vent. insp. l. 1. §. perinde extr. de Ædilit. Edict. l. 4. ff. de restit. in integr. Gaul. lib. 1. obseruat. obseru. 151. num. 13. & post alios Schrad. in tractat. de Feud. p. 4. c. 2. n. 15. (b) c. ad aures, vbi Canonist. extr. de reb. Eccles. alien. vel non. c. 2. ib. conditionem Ecclesiæ meliorem potest facere, deteriolem non debet, extr. de Donat. Matth. de Afflict. ad t. 1. num. 2. lib. 1. Feud. (c) c. 3. extr. de his, que fiunt à pralat. & c. cura pastorali extr. de Iur. patron.

XVIII.

Vtrum inuito Vasallo, ratam habere Ecclesiæ possit infeudationem, ex solemnitatis omisione inutilem, ita vt Vasallus coactus teneatur suscipere Feudum, quæstionis est? Et licet nonnulli affirmant, negatam tamen sententiam veram puto.

Vasallus etenim inuitus retinere feudum cogi non potest, sed id domino etiam dissentienti refutat, & cedit. t. 38. lib. 2. Feud. Zas. in epitom. Feud. p. 10. Cuiac. ad t. 14. lib. 2. Feud. Duar. in com. in consuet. Feud. c. 12. n. 18. VVesenbec. in tractat. de Feud. c. 9. & 10. num. 3. Nam & vsufructuarius, cui haud multum absimilis est Vasallus. t. 23. in fin. ib. vsufructus verò illius lib. 2. F. non cogitur inuitus uti fruct. sed potest vsufructum remittere. l. §. absente. 55. l. cum vsufructuarius. 75. ff. de vsufr.

XIX.

Et tantum de Ecclesiastico Feudo. Seculare Feudum est, quod persona secularis in re seculari Laico vel Clerico constituit,

c. ex transmissa, extr. de for. competent. t. 40. §. vlt. lib. 2. F. Sonstbec. in comm. suo ad vsus F. p. 3. n. 5.

ER

XX.

Est autem seculare Feudum tum Regale, vel non regale, tum nobile, vel plebeium. (a) Regale Feudum est, quod ipse Rex vel Imp. Rom. vel quis alius princeps superiorem non recognoscens, alicui concessit, etiam si cum regali dignitate coniunctum non sit. (b)

a) Hos distinctionis modos duos suggerit nobis t. 34. de leg. corrad. in pr. ib. de beneficio regali, lib. 2. F. & t. 10. Quis dicatur Dux. vers. ceterum vero. ib. plebei nihilominus sunt, lib. eod. F. (b) d. t. 34. de leg. corrad. in pr. vbi Hotom. in verb. beneficio regali, lib. 2. F.

XXI.

Est quidem etiam Marchia, item Ducatus & Comitatus aliqua dignitas, (a) at regalis dignitas non est, siquidem regali dignitati opponatur. (b)

a) t. 13. in fin. ib. in Feudo Comitatus, vel Marchia, vel aliarum dignitatum lib. 1. F. (b) t. 14. de Feud. March. in pr. ib. de Marchia, vel Comitatu, vel Ducatu, vel aliqua regali dignitate lib. 1. F.

XXII.

Feudum non regale est, quod quivis alius, quam Imperator similisve Dominus non recognoscens superiorem, in aliquem contulit.

d. t. 34. de l. corrad. Si enim regale Feudum dicitur, quod à Rege, vel simili aliquo domino tributum est, sequitur inde omne aliud Feudum, quod ab alio quam ab Imperatore, proficiscitur, esse non regale arg. S. videamus. vers. nam si cognoverimus. l. de his qui sunt sui vel alien. iur. & S. videamus ergò, vers. ita enim intelligemus. l. de tutel.

XXIII.

Succedit Feudum, Nobile & Plebeium. Nobile Feudum est, quo dominus effecit Vasallum nobilem militiæ, puta Capitaneum regis siue regni, aut Valuasorem regis, siue regni, qui etiam Capitaneus simpliciter vocatur, aut Valuasorem, qui minor Valuasor dicitur, aut Valuasinum, qui item Valuasor minimus appellatur.

t. 10. Quis dicatur dux. lib. 2. F. vbi omnis Vasallus, qui non est Capitaneus regis, aut Valuasor regis, aut Valuasor, aut Valuasinus, disertè plebeius dicitur his verbis: Ceteri vero, qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter à Capitaneis, seu à Valuasoribus acqviserint, plebei nihilominus sunt. Plebeius autem opponitur nobili, h. e. illi, qui in aliquo honore positus est l. 3. S. poena autem. ff. de crim. stell. t. 53. de pac. ten. in pr. ib. cum

Valuasor minor est plebeius
no. dicitur q. ant. q. h. p. m.
cum tenet ibi t. m. plebeius op.
rom. e. valuasor q. no.
v. m. fundum occupat. e. ple.
br. q. m. idem d. valuasor
minor.

ff

omnibus

omnibus locorum primatibus & plebeis, lib. 2. F. & c. series. ib. quorundam nobilium. *Quæ ciuitat' extr. de Testib. & attestat. & latè Tirag. in tract. de Nobilit. c. 2.*

XXIV.

Ab hac autem nobilitate militari plurimum differt ea nobilitas, qua coruscant illi, quos Imp. dato Iure galeæ apertæ, in equestrem ordinem recepit, & nobiles appellari, porrecto diplomate, iussit, & qui ex his legitime progeniti sunt.

Ad hos Hercle t. d. 10. Quis dicat. Dux. lib. 2. F. nihil pertinet. vt & rectè ibid. notat. Hot. in verb. nihilominus plebei sunt, licet interpp. secus sentiant. Cum enim isthac præcipua, & singularis nobilitas, non nisi ab Imp. concedatur, l. vlt. §. viros autem illustres. & ib. Paul. Castrens. C. vbi Senat. vel Clariss. l. sacrilegij. §. vbi Bl. C. de diuers. rescript. l. vn. C. de his qui à princip. vacat. accep. lib. 10. l. pen. in pr. & §. 1. vbi Albert. de Ros. ff. de Decur. Ias. in l. omnium. 19. §. 1. C. de Testam. Aluarott. ad d. t. 10. Quis dicat. Dux. in pr. num. 4. lib. 2. Cast. conf. 22. Visis omnibus, col. 2. lib. 2. Imperator verò ijs ita hunc honorem tribuit, vt in liberos, non nisi legitime procreatos transeat, l. 1. vbi Br. n. 49. & l. seq. C. de dignit. lib. XII. Nobilitas verò militaris, de qua in d. t. 10. non tantum tribuatur à Rege, h. e. Imperatore, sed & à Capitaneo Regis, item, & à Regis Valuasore, & à Valuasore minore, sicuti textus eius loci disertè testatur, profecto perperam ad nobilitatem veram, & specialem trahendus erit locus ille in d. t. 10.

XXV.

Sequitur de feudo Plebeio. (a) Est autem Plebeium Feudum, quod nobilitatis militaris est expers, vt quo Vasallus non efficitur Capitaneus regis, siue Valuasor regis, aut Valuasor minor, aut Valuasinus.

a) *d. t. 10. Quis dicatur Dux. vers. ceteri verò. lib. 2. F.*

XXVI.

Porrò feudum Plebeium dare potest, non modò masculus, sed & foemina:

t. 3. per quos fiat inuestitura. §. foeminam quoq. lib. 2. F. & t. de inuestit. veteris & nou. benefic. vers. hac secundum quosdam & foemina. in fragment. & extraord. capp. lib. 4.

XXVII.

Sed an Rusticus, vel quis alius priuatus, quantumuis humilis conditionis, allodium suum alicui in feudum dare possit, queritur?
Adfir-

Adfirmatiua sententia de Iure verior est, (a) licet negatæ opinioni post alios subscribat Duar. in com. Feud. c. 6. n. 9.

a) Omnis enim qui liberam bonorum suorum administrationem habet, recte feudum dare potest, t. 3. per quos fiat inuest. in pr. vers. Noui verò. lib. 2. F. & quilibet liber in re sua est moderator, & arbiter l. in re mandata. 21. C. Mandat. l. sed et si. 26. §. consuluit. ff. de petit. heredis. iustum quoque est, sua cuique committere, l. nemo. 9. C. de iud. & coeli c. & quidem ad arbitrium l. 7. in fin. ff. si quis à parent. manumiss. fuerit. l. dubij. 14. C. de contrab. empt. Accedit huc quoque, quod sola fidei præstatio sit forma & substantia Feudi, ut disp. præced. liquet, qua tam priuato, quam dignitate florenti exhiberi potest, nihil mouet, quo minus etiam priuatus Feudum dare possit. Hanc sententiam tuentur etiam & amplectuntur Curt. Iun. in tract. Feud. p. 2. principali. q. 4. Schrad. p. 4. c. 1. n. 57. & Ioan. Borcholt. in com. in consuet. Feud. c. 5. n. 41. sed obstar. vid. text. in t. 1. §. 1. lib. 1. F.

XXVIII.

Verum pupillus, siquidem res suas alienare prohibeatur, (a) vt & minor. 25. annis (b) nouum feudum dare non possunt. (c)

a) §. nunc admonendi. l. Quib. alien. licet vel non. l. pupillus. 11. ff. de acquir. rer. domin. l. Iusiurandum. 17. §. 1. ff. de Iureiur. (b) l. 3. C. de integ. restit. (c) d. t. 3. in pr. lib. 2. F.

XXIX.

Num verò pubes minor 25. an. stipulanti promittendo Feudum nouum, sine curatoris sui consensu, efficaciter obligetur, non immeritò hoc loco in quaestionem vocatur? Et certè illud omninò statuendum videtur, atqui contrarium verum est.

Nam Modestinus Iurisconsultus in l. puberes. 101. ff. de V. O. puberes, aut sine Curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari. Cur autem ex alijs contractibus nequeant, rationem differentiae vid. ap. Paul. lib. 5. sentent. t. 7. de obligat. Verum enim verò cum generaliter cautum sit in d. t. 3. in pr. lib. 2. F. nec minorem alicui nouum Feudum dare posse, existimamus, ne quidem ex stipulatu, obligari minorem, si stipulanti nouum Feudum promittat. Cum enim placitum illud Feudale, interdicit minori, datione noui Feudi interdiceret quoque ei intelligitur, quouis contractu quo Feudum nouum promittitur. Nam prohibito, & concessu actu, prohiberi quoque, aut concedi preparationes certum est l. oratio. 16. ff. de sponsal. l. ad rem. 56. & l. ad legatum. 62. ff. de procurat. Pet. Costal. ad l. in quorum. 24. ff. de pign. & hypoth. Sed hæc Regula in vniuersalis non est. nam 7. q. n. sanguinis 20e pro d. b. in m. n. p. h. u. s. q. b. a. z. q. i. n. p. u. s. p. o. s. a. l. i. e. u. t. i. n. q. u. i. n. i. e. m. a. d. m. i. n. i. s. t. r. a. t. u. m. Cæterum

XXX.

Cæterum vt pupillus & minor 25. an. sic & furiosus, mente captus, & prodigus, nouum alicui Feudum dare prohibentur.

Nam & hi res suas alienare impediuntur l. 2. & 3. C. de Curat. fur. l. Iulianus. 10. ff. de Curat. fur. l. si sciens. 26. ff. de contrah. empt. & d. l. 3. C. de in integr. restit. min.

XXXI.

Interdicitur autem bonis prodigo, vel ipsa lege, id est, ipso Iure, siue decreto magistratus, si scilicet manifestè & notoriè prodigus sit, (a) vel à prætore, seu magistratu, si dubium, fuerit an reuerà prodigus sit. (b)

a) l. is cui. 18. in pr. Qui testam. fac. post. l. 5. §. 1. ff. de acquir. vel amit. heredit. l. 1. in pr. ff. de Curat. fur. (b) l. Iulianus. 10. & l. pen. §. 1. ff. d. t. Ius prouinciale V Virtemberg. part. 2. t. Von vnnißen Haushältern pag. 249. Donel. in l. is cui. 6. ff. de V. O.

XXXII.

Non modò tamen sine tutoris, vel curatoris interuentu, sed & accedente tutoris, vel curatoris autoritate; vel consensu prohibentur, pupillus minor, 25. an. (a) item furiosus, prodigus, & mente captus, res suas, immobiles, sine decreto prætoris, vel Præfidis alicui in feudum dare nouum. (b)

a) tot. t. C. de præd. & alijs reb. min. sin. decret. non alienand. & t. t. ff. de reb. eor. qui sub. tut. vel cur. (b) l. 2. C. de Curat. fur. l. qui neq. 8. §. 1. & l. si prædia. 11. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur.

XXXIII.

Similiter filiusfam. peculium suum aduentitium, donec parens vivit, alienare non potest (a) proindeque nec in Feudum dare, (b) etiam si parens eius peculij nec vsufructum, nec administrationem habet. (c)

a) l. vlt. §. filijs autem fam. C. de Bon. quælibet. (b) d. t. 3. vers. Qui enim qualibet. lib. 2. F. (c) Hoc etenim casu nè testari quidem filiusfam. de suo peculio potest, l. pen. & vlt. C. qui testam. fac. post. Vigl. in §. 1. n. 16. I. Quib. non est permis. fac. test. Cuiac. in Nou. 117. c. 1. Balduin. in iustin. suo mih. pag. 136. & Donell. lib. 6. com. iur. c. 5.

XXXIV.

Sic quoq; maritus, licet dominus sit rei dotalis, eam tamen alienare

nare prohibetur (a) & proinde etiam eandem in Feudum concedere nequit. (b)

a) §. 1. l. Quib. alien. lic. vel non. l. vn. C. de Reivx. act. (b) d. t. 3. vers. Qui enim qualibet. lib. 2. F.

XXXV.

Mutus tamen & surdus non impediuntur dare in feudum res suas. *curatorum la. l. 1. 3. p. gule. d. postul.*

Nam mutus & surdus donare non prohibentur. l. qui 33. §. mutus ff. de donat. & præter stipulationem celebrare omnem contractum possunt. l. in quibuscunq. 48. de O. & A. l. vbi non voce. 124. ff. de R. l. l. mutus 73. ff. de Iur. dot.

XXXVI.

Denique procurator licet totorum, siue vniuersorum bonorum sit, Feudum tamen, sine speciali mandato domini dare non potest. (a) Quòd si libera ei administratio concessa sit, pro precio quidem, in Feudum domini sui rem dare potest, (b) sed gratis eam concedere non potest. (c)

a) l. procurator. 63. ff. de procurat. (b) §. vendita verò. vers. quæ ratione. l. de R. D. l. quæ ratione. §. hæc quoq. ff. de acquir. rer. dom. (c) l. contra Iuris 28. §. fin. ff. de pact. l. pactum. 22. C. d. t. l. filiusfam. 7. in pr. ff. de donat. Schrad. in tract. Feud. p. 4. c. 1. n. 70. & 71.

XXXVII.

Exposito quæ personæ Feudum dare possint vel non, proximum nunc est, vt dispiciamus, quæ Feudum Iure acquirant, vel non.

XXXVIII.

Iure Feudum omnes acquirunt, quibus nominatim vsu Feudorum interdictionem ^{non} est.

t. 3. Per quos fiat inuest. & per quos recip. §. sed etiam vers. per Feudum tamen cui libet dari potest. §. personam verò accipientis, vbi Iacob. de Beluis. Aluarot. Bl. & alij lib. 2. F. Iacob. de Ardiz. in scient. Iur. Feud. c. 23. Zas. in epitom. F. c. 5. Cont. in com. in vs. Feud. c. quib. person. Feud. dar. poss. Duar. in com. in consuet. Feud. c. 6. num. 13. VVesenbec. in tract. de Feud. c. 5. num. 2.

XXXIX.

Non modò ergò mares, siue liberi sint vel serui, modò qui Feudum concedit non ignarus sit status eius & conditionis, (a) sed & foemina Feudum acquirere possunt.

§ 3

a) t. 30

*Supplementum in
dispositiois q. corre
Etiam v. j. post
dispositioem alina*

*hic facti empta dmi vterq; qapp
 24 in inuofura fiam, hro
 dnt in inuofura, hve patial
 pna ab alio inuofura. Cui in
 amica 2 p pton fce hromand
 hi pte, cur e nadum mo pie in
 vofura a dno factam, ut
 dno gced onto factam, h b firy*

a) t. 30. lib. 2. F. d. t. 3. §. personam. lib. 2. F. Nam qui proprio seruo Feudum militia causa concedit, eundem libertate donare praesumitur, ut & qui patitur suo seruo, feudum militia causa dari l. super. 6. & l. seq. C. Qui milit. poss. Et si domini contemplatione, seruo alieno Feudum detur, ipsi domino dari intelligitur. d. t. 3. §. sed vtrum ipse lib. 2. F. Frid. Schenck. ad eiusd. t. §. personam. n. 1. Ex qua uis enim causa seruus etiam ignoranti acquirit domino §. item vobis acquiritur. l. per quas person. cuiq; acquir. l. etiam inuitis. 32. ff. de acquir. rer. dom. (b) Vnde Feudum aliud est Masculinum, aliud Faemineum. Illud quod ab initio masculus acquisiuit, d. t. 30. ib. quia faemineum Feudum est, iunct. verb. sicut si datum est filio masculino. t. 50. ib. & non filia, nisi ex pacto, vel nisi sit faemineum. lib. 2. F. Cuiac. ad t. 15. lib. 1. F. VVesenb. in tract. de Feud. c. 2. n. 6. Hoc est, quod a principio faemina acquisiuit. d. t. 30. & t. 50. lib. 2. F. VVesenbec. d. c. 2. n. 5. Hartm. Pistor. lib. 2. quest. Iur. part. post. q. 34. n. 13.

XL.

Feudum quoq; nouum acquirere potest, mutus, surdus, caecus, vel aliter imperfectus, (a) item infans pupillus per tutorem suum. (b)

a) Generaliter enim traditum est, non esse distinguendum inter personam inuestituram nouam accipientis d. t. 3. §. personam verò lib. 2. Feud. (b) arg. d. t. 3. §. sed vtrum ipse lib. 2. F. l. quamuis. 32. §. infans. ff. de acquir. vel amit. poss. l. 3. C. de acquir. vel retinend. poss. l. si procurat. 13. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. sufficit. ff. de administ. tut. post Aluarot. Praepos. Matth. de Afflict. in d. §. personam, & Zasium in epitom. Feud. p. 5. c. 2. Schraderus in Feud. tractat. p. 4. c. 3. n. 4. Borch. in com. in consuet. Feud. c. 5.

XLI.

Pari etiam modo infans in patria potestate constitutus, nouum acquirere Feudum videtur posse, impubes item maior infante. (b)

a) arg. l. si infant. 8. in pr. C. de Iur. deliber. (b) t. 26. §. si minori. lib. 2. F.

XLII.

Ipsa tamen impubes, fidelitatis Iusiurandum in inuestitura prestare non cogitur, donec pubes est, (a) nisi vltro illud dare velit, (b) vel eius nomine procurator, vel tutor praestet. (c) Et propterea pubes multo magis, vel per se, vel per procuratorem acquirere potest. (d)

a) t. 26. §. si minori iunct. §. seq. lib. 2. F. l. Iusiur. & ad pecunias. 24. §. de pupillo, vbi gl. ff. de Iureiur. (b) vti arguit verbum, cogatur, in d. t. 26.

*in inuofura
 dnt in inuofura
 pna ab alio
 amica 2 p pton
 hi pte, cur e
 vofura a dno
 dno gced onto*

v. 26. §. si minori. & potest aliàs imputes, fidem Iureiurando obstringere, c. Ex literis ubi gl. in verb. Iuram. & Panorm. n. 6. extr. de sponsal. l. qui iurasse. 26. in pr. ff. de Iureiur. Br. in Auth. Sacramenta puerum n. 9. & ibid. etiam Ias. n. 15. & seqq. C. si ad vers. vendit. Panormit. consil. 39. incipiente, duo sunt examini subijcienda n. 1. vers. secundò principaliter p. 1. (c) d. t. 3. §. vtrum ipse lib. 2. F. (d) arg. d. t. 26. §. si minori iunct. d. t. 3. §. personam verò & §. seq. lib. 2. F.

XLIII.

De spurio non aspernanda mouetur quæstio; an Feudum nouum acquirere queat? Et distinguendum hic est, inter dominum concedentem, vtrum pater ille sit spurij, an extraneus, ille filio suo spurio, neq; gratis, neq; precio feudum concedere potest, (a) Hic verò non prohibetur Feudum nouum spurio dare. (b)

a) Nihil enim vendere, vel donare, pater huic filio potest l. si quis. 6. vers. nihil prorsus. C. de incest. & in iurib. nupt. l. 1. vers. sed & si vxori. ib. vel emptioni collatum & vers. siue itaq; ib. siue ab eo emptum C. de Natural. liber. Br. in l. si quis ex bonis. n. 4. ff. de Vulg. & pupill. substit. (b) arg. d. t. 3. §. personam verò lib. 2. F. Laurent. Syluan. de Feud. cognit. q. 103. & Schrad. p. 4. c. 3. n. 7. Neq; ratio est habenda Feudi dignitatis, seu nullius dignitatis. Spurius enim infamis non est l. 2. §. nullum l. spurij. 6. in pr. de decurion. c. nisi cum pridem §. personæ extr. de renunciat. c. 1. dist. 56. Palaot. de spur. & nob. c. 55. n. 13. & 14. cum præced. & seqq. Thoming. in decis. quæst. illust. decis. 48. n. 3. & seqq. Hartm. Pist. lib. 1. quæst. Iur. q. 30. n. 36. in fin. cum præced. & seqq. & Modestin. Pist. consil. 46. p. 1.

XLIV.

Adhæc Clericus quoq; Feudum nouum acquirere potest.

Nam personam Feudum nouum accipientis regulariter non distinguimus d. t. 3. §. personam verò lib. 2. F. & quod soli etiam personæ Clerici Feudum nouum dari possit, abundè arguit uon modò text. in t. 40. de capit. Corrad. item si Clericus. lib. 2. F. sed & exemplum in c. ex transmissa. extr. de For. compet. propositum.

XLV.

Neq; de Rustico dubitandum est, quin Feudum Iure acquirere possit.

Sup. enim sæpè dictum, non esse distinguendam personam accipientis Feudum nouum d. t. 3. §. personam verò lib. 2. F. Ac vt plurimum Feudum militia causa datur, t. 21. t. 26. §. Beneficium ib. dum tamen militi detur lib. 2. F. Rusticus autem ad pericula belli decoquenda aptissimus est, Veget. lib. 1. c. 3. Et primus Bohemia princeps arator fuit, vt ex Aenea siluio Zas. refert. in epis. Feud. p. 5. n. 29.

Cæterum

Cæterùm dicendum modò de his, qui Feudum accipere nequeunt. Quorum classi primùm ad censetur deportatus, (a) Imperio Bannitus, (b) Hereticus, (b) publico iudicio damnatus. (d)

a) Feudi enim acquisitio est Iuris ciuilis, siue ea fiat præscriptione, quæ Iuris ciuilis est, §. vlt. l. de vs. & habit. iunct. t. seq. de vsucap. l. 1. l. 3. ib. lege definiti. ff. de vsurp. & vsucap. siue fiat per inuestituram, quam ob solemnitates suas, Iure ciuili inuentas, Iuris ciuilis esse, nemo negabit. Deportatus autem eorum, quæ Iuris ciuilis sunt, particeps non est l. sunt quidam. 17. §. item. quidam. ff. de pen. (b) Banniti enim illi, ea quæ Iuris ciuilis sunt, perdunt. Geil. lib. 2. de pac. pub. c. 12. num. 5. & seq. num. 19. (c) Huic enim hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune est cum cæteris. l. Manichæos. 4. C. de Hæret. (d) l. 4. §. adulterij. ff. de re milit.

FINIS DISPUTATIONIS
DVODECIMÆ

Ka 3071

(3/4)


ULB Halle 3
003 261 573



sb

Einband. 3/1.





Disputatio XII.

GENERALI FEVDI DISTRIBUTV.
 eiusdemq³ acquisitione in genere: In specie verò
 de personis, quæ conferre possunt, quæ
 item accipere Feuda.

QVAM,

S. E. L. P. C. F.

Sub Patrocinio

ENRICI BO.
 SALCATENI, V.
 CELLENTISSIMI, ET IN
 ingenium Academia Professoris, criminalium &
 iudalium rerum laudatissimi, Præcepto-
 ris sui summè colendi,

VARIE EXERCITATIONIS
 hora, tempore, locoq³ solitis, pro animi modulo, susci-
 pere, & defendere conabitur

IOANNESI IACOBVS
 Plebst, Stutgardianus, Charitinus.



TVBINGÆ,
 edit Georgius Gruppenbachius.

ANNO M. D. DC.

cc

